


179. 555.








© The Tiffen Company, 2007

**TIFFEN® Color Control Patches**

A DECIDUA  
nulo Gentilitio.  
AC GENEROSI DOMINI  
OMINI  
INDI HOLLO  
ROMPACH,  
estatis Aulæ Familiaris, &  
tium Regni Hungariæ  
eralis Perceptoris, ac So-  
ci; nec non supremi  
Magistri Eper: &c.  
inter lachrymas.  
*Eidem*  
Exequiis funeralibus  
GEN: VIRGINIS  
MARIAE HOLLO  
mæ Filiolæ Suæ  
A  
ADOLESCENTE  
INDO HOLLO  
ROMPACH,  
cassis Grammaticæ  
studioso.  
SOVIE,  
EDIS TUSCH. 1666.



GEMMA DECIDUA

Ex Annulo Gentilitio.

PERILLUSTRIS, AC GENEROSI DOMINI  
DOMINI

SIGISMVNDI HOLLO  
DE KROMPACH,

S.C. Regiæque Majestatis Aulæ Familiaris, &  
proventum Partium Regni Hungariæ  
Superiorum Generalis Perceptoris, ac So-  
lutoris bellici; nec non supremi  
Postarum Magistri Eper: &c.

Parentales inter lachrymas.

Eidem

Oblata in Exequiis funeralibus

PER: AC GEN: VIRGINIS

ANNÆ MARIAE HOLLO

Charissimæ Filiolæ Suæ

A

GENERO SO ADOLESCENTE

SIGISMVND O HOLLO

DE KROMPACH,

Supremæ Classis Grammaticæ

Studio.

CASSOVIE,

Suæ Typis DAVIDIS TUSCH. 1666.

SIGISMUNDI HOLLO  
Chrono-distichon.

Ex Gentiliis Insignibus

Per ill. & Gen. Domini

SIGISMUNDI HOLLO

Vnlo, CorVVs, CrVX, AqVILa,  
AnnVLVs, & Leo CeLsVs,  
HICCE IaCent Vnâ CVspIDe  
taCta neCIs.

PROLOCUTIO.

Perillustris ac Generose Domine,  
Patrue colendissime.

**Q**uandoquidem parentales inter cupressos Annæ  
Mariæ gemmæ tuæ, cuius lamēabilis casus uberes  
è multorū oculis géminalas secū evolvit, candidissimis  
**M A N I B U S** data lilia

in luce hujus Nobilitatis, umbratile nimirū mœstissimi  
doloris solatiū, & ardentia circum funalia, ad horrōre  
conspicua, intueor, decidiuam ego Gemmam, antiquam  
Nobilitatis & præliaris animi tesserā tibi offero. In qua  
dum utrinq; plurimarum virtutum insignes observo do-  
res, in multiplici gemmarum symbolo illas exprimere  
sum conatus. Si enim paternum genus considerem, ex  
nobili prosapia, iisq; Parentib; orta est Anna tua, qui Prin-  
cipibus suis, Patriæq; utiles, & c̄ari fuerunt. Testatur id  
Augustiss: Imp: Leopoldus, Dominus noster Clemen-  
tissimus, non minus Imperij, quam meritorum arbiter  
æquissimus, in literis Privilegialibus, quibus te, ob vir-  
tutes tuorum, tuasq; in diversis functionibus, commis-  
sionibusq; potissimum verò ob certas Allegationes, in  
Poloniam tibi delegatas, easq; non minus cum insigni dexte-  
ritate, quam cum omni laudabili sinceritate, fide, & Zelo  
peractas, in numerum & coetum Familiarium suorum Au-  
licorum annumeravit, & adscripsit, novisq; titulis ac be-  
neficijs exornavit. Quid verò dicam de Materna, Il-  
lustri ac Magnifica Offolinsiorum in orbe Polonico pro-  
lapia? Triumphabat jam anno 1381, Teczyniana in Of-

Solinis ascia, quæ per omnes honorum, ac dignitatum titulos, jam tum sibi ad immortalem Nominis perennitatem gradus scite elaboraverat. Loquitur id me tacente *Trophaeon Asciae militantis.* Illud certe satis mirari non possum, stetisse securissimo gradu, pertot sæculorum vicissitudines, per tot Dignitatum apices gloriosam semper *Ossolinsiorum* protapiam. Nempe triumphalis securis hoc inconcussum honoris domicilium construxerat. Excurrerem hic ego in amplissimas laudes, & merita tam Illustris Familia; dicerem duos Avunculos Annæ tuæ, unum Sendomiriensem Palatinum, bellicis artibus illustrissimum: alterum verò S. R. I. Principem Excellentissimum, nec non magnum Regni Cancellarium, virum, in quo ornando Pontificia, Imperatoria, Regiaq. potestas certaverunt: his accenserem Avum illius Illustrem, ac Magnificū D. Wojniciem Capitaneum, & sexcentos alios Heroas, tam sæculari, quam Ecclesiastica dignitate conspicuos, quibus velut columnis, Polonicæ Reip. Majestas hactenus non modicum subnixa est, nisi Præficam nunc magis, quam panegyristen agere in omnium luctu, & mœrore juberer. Invida mihi Parca præcindit fila prolixioris loquelæ, quæ vix exorsum vitæ filum, non parcâ manu præcidit Annæ tuæ. Accipe ergo, eo quo majora soles animo, breve hoc tacite eloquentioris affectus argumentum, & umbraticum erga te observantia monimentum, in quo duret, & luceat ametur & redametur Corvinus Illustris Josephus tuæ Adamas.

Per ill. & Gen. D. V. obsequensis.

SIGISMUND: HOLLOW.



## LESSVS IN EXEQVIIS

### ANNÆ MARIÆ HOLLO.

Ibra pares horas nocti, pariterque diei  
Fecerat, & simili jussusat ire rotâ,  
Ibat, & æquales librata per aëra gressus  
Urgebat pennis æmula solis avis,  
Cumque suo crescens Phœbo Phœbeius ales,  
Æquabat patrios jam propè victor equos.  
Illustri insignis gemmâ, quam circuli in orbem  
Dædaleâ quondam clauserat arte labor.  
Tum liquidas plaudens pleno ter gutture voces,  
Et quater ingeminans joll sonabat avis.  
Atque ita dum mota ludit novus ales in aura,  
Circinat inque leves membra rotata cyclos,  
Alpicit Eoo volitantem à cardine longè  
Hesperias Augur Solis adire domos  
Plaudit, & exiliens inclamat: candida cives  
Omina, ab Eoo climate cantat avis!  
Dixerat hæc Augur. Sed amaro nubila vultu  
Morsait: Heus nigrum concinit omen avis.  
Vix ea; & adducto contorsit spicula nervo,  
Tincta venenato spicula felle prius,

Illa volant, figuntque atrâ sub nube volucrem!  
Decidit ex animis, gemmaque ab ore cadit!  
Musa parentales, ô hic mihi suffice lessus!  
Si tamen hos possis fundere præ lacrymis.  
Fabula narrata est; sed veri fabula sensus:  
Corvinæ heu cecidit gemmula chara domus!  
Ite oculi in lacrymas: Elegeia solve capillos!  
Heu Tenczyniadum gemmula parva jacet!  
Flebimus: at lacrymis, si moeror metra negabit:  
Ni neget has etiam Præfica Parca genis.  
Ite mei sensus, quo vos dolor urget, & ultrò  
Monstrat iter moestis obsequiolus amor!  
Annulus en solitum nec dum se flexit in orbem,  
Gemma nitens proavis Anna Maria jaces!  
Anna jaces, nec te Corvinæ insignia gentis,  
Nec Tenczyniadum gloria longa juvat.  
Huc agite ô Musæ, lugubres tangite chordas:  
Corvinæ en cedidit gemma decora domus!  
Sit procul ingenium, dolor, ars sit; Abominor artem,  
Astringat gemitus Regula nulla meos.  
Audior: en Clio crimes collecta cupresso,  
Increpat argutam pollice moesta chelyn.

Ode I.  
Adamanti, Duranti, & lucenti.  
**C**andore, quænam gemma perstringit genas,  
Ardentioris flammulæ!  
Quænam sereno solis, & tenerrimæ  
Ridet pyropæ Cynthiae & Ridet

Claramque lucis tollit ex umbris facem,  
Inter tenebras Phosphorus!  
Invicta saxis, pertinax vinci rogis,  
Incude non domabilis.  
Adamantis hic est Regius gemmæ rigor,  
Adversa quævis vincere.  
Ad amantis ergo fortia, & duras vices,  
Hæc gemma figatur tholos,  
Corvina pridem gloria, Heroum genus,  
Et Præliaris laurea,  
Mercata largo sanguine est tantum decus,  
Atque ære Martali.  
Quis explicatas Martis in campo minas  
Corvinianæ dexteræ  
Infregit? ivit semper in victa, atterens  
Victrix phalanges hosticas.  
Seu quæ Propontis Thracio imminens mari,  
Captiva Lunam suspicit,  
Seu bellicosas Alba quæ tollit cruces,  
Formidolosas Concano.  
Quis gloriolos rigidus in cenüs vocet  
Partos triumphos arbitrii?  
Nescit silenti noctis involvi peplo  
Corviniana gloria.  
Vincit pérīcla, pacis ambigua dolos,  
Astuta convellit dolis.  
Nec squallor illam carcerum, aut tetri specus  
Abscondit antrum, promicat.

Ab-

Latere nescit, luce proditur suā,  
Adamas in umbris emicat.  
Quid pervicaces carcerum intentas minas?  
Procella tristis Dacia?  
Adamanta cernis: concitas ridet minas,  
Flammamique rucantes tubos.  
Fidelitate, quisquis armavit fibras,  
Ignorat ignavos metus.  
Fidelitatis prodigus vitæ calor  
Accedit & rigens gelu.  
Evertat urbes hosticus chalybs, viros;  
Struesque tollat funerum,  
Pro Rege stabit fida Corvini manus;  
Fidelitatis victima,  
Sed, flete mecum Gratiae, atque in lacrymas  
Abite mœrentes joci,  
In busta furvæ conditur Adamas necis  
Quæ sola nocte involvere  
Effulgurantis gemmulæ possunt jubar,  
Et vincere invictum decus.  
Ah Parca tantæ Gratiae, vel unicæ  
Ah parce Parca gemmulæ!  
Num cernis isto funere ultimas Patris,  
Et sanguinis spes emori?  
Fidelitatis specimen, & quondam jubar?  
Vnam columnam stemmatis!  
At, heu, inani carmine infesto efferam!  
Fatalis hora jam vocat.

Maria

Maria perge, melius in cœlis nitens,  
Durabis alma gemmula.  
Hæc inter trifles Clio modulata querelas,  
Successit mœsta, mœsta Thalia cœly.

## Ode III.

*Pyroso flamas imitant.*

Sator Deorum summe Diespiter,  
Trisulca cuius fulmina sentiunt,  
Quacunque Titan æstuoso  
Lucipluus rapitur curuli.  
Si multiformis fingere Prothei  
Concedis artus, si Calydonij  
Ludentis Alciden fluenti  
Vis varias simulare formas.  
Perenne fletis da mihi transeat  
Thalia in artus præpetis Articæ  
Quæ subter umbras flet peremptum  
Præfica Ityn, meliore lessus  
Cantu parentans, milleque flexibus.  
Alternat oden per Dryadum choros  
Aufractuosos perque saltus,  
Sylvicolas animans volucres.  
Corviniorum deciduae dabo  
Quam mœsta gemmæ carmina: Nænia  
Cantabit ignescens, eheu  
Occiduos radios Pyropi!

B

Qua

Quà saltuosos Carpathus invio  
Supinat armos vertice, Pannorum  
Vicinus arvis, quà propinquos  
Sarmatiæ dirimit que fines,  
Sculpenda summis carmina cautibus  
Cantabo vates, nec pretium meo  
Cautes negabunt margarito,  
Deciduas lacrymas merenti.  
Diserta quin jam tacta loquacibus  
Quæ muta quondam saxa doloribus,  
Orbi universo glorioæ  
Mnemosynon referent avorum  
Corvinianæ gentis; & aureo  
Scribenda censu gesta, nepotibus  
Seris notabunt, cæduasque  
Delicias cecidisse dicent.  
Subscribe moestæ lacryma næniæ  
Stylo perenni; semper ad orbitam  
Constante passu Pannorumque, &  
Austriaco, obsequijs fidejem  
Stetisse cælo; sive Tyrannicæ  
Procella Lunæ sœvijt horrida,  
Seu perduelli Dacus aulu  
Hunniacis volitavit arvis.  
Avita virtus nescia Regibus  
Eidem probatam fallere, barbaro  
Non viæ ferro est, foederatas  
Ut fidei violaret aras.

Quæ

Quæ fama toto dum canit æthere;  
Ambit Pyropum Parthenius chorus  
Pyrope terris quid moraris?  
Anna subi penetrale celi.  
*Plura locuturæ numeris interflicat æquis*  
*Melpomene, & Tragicoſ ſic tonat orſa modos.*

### Ode III.

*An dromanti animorum impetus componenti.*  
**E**rythræbole, & stemmate Phosphori,  
Gangis progenie pignore Nobili,  
Paſtoli è gremio gemmula charior  
Corvinæ pretium domūs,  
Thesaurus potior gentis ab inclytæ  
Nativo occiduus, velleris annulo,  
Heu unum pretium cruda necessitas,  
Et fati rigor invidet!  
An nec dum Lachesis laſſa furoribus  
Dum Mars fulmineos torsit acinaces,  
Et damno segetes non reparabili  
Stravit funereas ſolo?  
Incerto tenebris qualis ab æthere  
Tempeſtas Cereris grandine proterit  
Flaventem ſobolem, & stragibus horridum  
Debacchata Tyrannicis  
Bis nati pariter germina Liberi  
Involvit rabie non latiabili,

Enclades tragicas flet sine fœnore  
Mœsta novalia.

Nuper Threjicio talis ab æquore  
Laxatis furiæ passibus, Hungaram  
Tempestas Patriam corripuit, malum  
Flendum sangvineis genis.

Proh, quot funeribus tabuit obsita  
Tunc terra, & tepidum ferrea sangvinem  
Rictu parca bibt, nec tamen invida  
Explevit rabidam sitim!

Patratis etenim nil adamantinam  
Atrox tot necibus composuit famem,  
Sævit nunc etiam, sævit & inclyto

Nescit parcere pignori!

*Corvini* Androdamas Nobilis annuli  
Infringi in spolium debuit improbae

Parcæ: necteneris flectere primula:

Annis Anna potes necem!

Cæca est, nec teneras cernere Gratias  
In te gemma potest: concidis, occidis

Contractis radijs! Inde Parentibus

Proh quantus dolor intima!

Diffindit penitus viscera! scilicet

Nunquam Lethiferum Parca profundiùs

Infigit jaculum, viscera quàm Patrum

In gnatis ubi conficit.

Interea raucas animans in carmina avenas

Euterpe, querulum concipit ore meos.

Ode

# Ode IV.

Pantarba gemmas ad se trahenti.

Q Vis ille fulgor deciduuus micat  
Inter jocantis nubila gloriae?  
Pantarba forsan? cerno secum  
Mille rapit radiosha gemmas.

Pantarba certe est. Candor & ignea  
Virtus decori provida, laureos  
Per tela, per flamas, honores  
Sola rapit, meritasque necit  
Pulcri coronas. Provida nominis  
Tencsyniorum gloria Lechicas  
Virtute nundinata palmas,  
Inseruit sua signa celis.

Hanc astuosi pectoris indeles,  
Ceris avorum stemmaque nobile  
Maritat astris, atque famae  
Pulcher *honos* vocat in theatrum,  
Locatque in ipso corde potentiae  
Cunctis verendam. Quin famulo prope  
Comes renitentem decori,  
Obsequio, titulisque presnat.

Vidi sacrati verticis inflas,  
Mentique tantae debita munia,  
Regnique *Cancellum* offerentem, ac  
Sceptra Ducum radiata, claves,

At illa honoris celsior essedo,  
Parcum dolosis fraudibus applicat  
Pectus, fugaces nec prehensat  
Sortis opes: proprio bonorum  
Sat clara censu. Nempe volubilem  
Calcare fortem docta, procacibus  
Non credit Euris; nec phaselos  
Præcipitem sinit ire virtus  
Vulgaris auræ: sed Sapientia  
Impellit auris carbala Etesijs,  
Claramque visu per triumphos,  
Quà proavi præière ducit.  
Inscende proram tu quoque præcocis,  
Quam Parca letho sustulit, annuli  
O A N N A gemma! jam *Sophia*  
In lacrymis moderante cursum.  
Dixerat. Hunc modulis totidem respondeat, & arte  
Terpsichore, ad citaram docta ciere sonos.

### Ode V.

O pælo variâ gemmarum luce residenti.  
F Allorne, an istâ Prothea gemmula  
Sub luce totas condidit Indici  
Gemas profundi? nonné splendor  
Purpureo hic amethystus ostro?  
An non Smaragdus? flammeus ignibus  
An non Pyropus? sic *Ojolynscordum*

A vi-

A vita Virtus per trophæa  
Trans Tanain, Thyberim & Britannos,  
Et ipsa sævi littora Bosphori  
Provecta, gentes attonitas dedit  
Dum fulminanti temperatos  
Voce animos regit, atque frænat.  
Dùm Romulæi Prælulis arbitris  
Affulsa aris, Attica melleo  
Devolvit ore verba; & aris  
Signa Ducum micuisse plaudit  
Thracum Polonis. Sive Britannicum  
Insternit æquor classibus, & Scythis  
Recudit arma, ac foederato  
Marte manus socias catenat.  
Seu dum furentem milite Concanum  
Deterret armis: seu patriæ Themis  
Ad æquitatis librat aras  
Iura, animo, manib[us]que magnus,  
Et fortis audit. Quæ mihi gloria  
Septemviralis panditur atrij?  
Dum Ferdinand[us] Orator Augustum—  
Imperij diadema poscit,  
Oracula fundens. Scilicet inclyto  
Vectum curuli, ac Daphnide civicâ  
Illustrem, & armatâ disertum  
Voce levat super astra ubique  
Heroa virtus. Sed miseram vicem  
Mortalitatis! Nomina funebri

Er

Et magna velantur Cupresso ; ac  
Funereas meditatur urnas  
Quæ longiori currere tempore,  
( O ver rosarum ! ô dura necelitas !  
Virtus merebatur. Quid astra  
Flebilibus quatio querelis ?  
O una tantum gemma propaginis  
Tantæ superstes, vinceret invidam  
Lethen, & invisas Cupressos  
Anna super tumularet urnæ !  
Heu triste fatum ! jam rotat *asciam*  
Crudele monstrum, dissilit *annulus*  
Gemmatus orbis ; mortis cheu  
Ferrea durities Tyrannæ !  
Inde recompositis pedibus, ( saltaverat ante )  
Plectra movens Erato lugubre carmen init.

## Ode VI,

*Amianto ignibus illæso.*

GEmma candenti radians colore,  
Sola, quæ flammæ crepitantis ignes  
Sustines, nec te furibunda circum  
Vesta resolvit,  
Ite procaces Furiæ Vesuvî  
Vrite Aetnæi Steropum Camini,  
Ridet ardores Amiantus Aetnæ,  
Gemma perennis.

Inter

Inter adversos dubia superbit  
Sortis angores generosa virtus,  
Ceu suo Titan rutilat coruscans.

Gemma nitore.

Pulchrius Cœlum est quoties rigentem  
Arcticus terram Boreas flagellat,  
Crevit adversis Oſolynskiorum

Gloria bellis:

Turbat effusum furibundus æquor  
Sarmatæ Mavors: fluitant carinæ,  
Castor, & Pollux placido gubernant  
Æquore puppes.

Sarmatam Typhsin Melitenſis ora  
Cantat, horrescit fugiens Gelonus:  
Libero plaudit pede jam soluta  
Compede turba.

Virginem gemmam vehat iste Typhis,  
Dum feros poñat Thetis ira fluctus,  
Fallor? in Cœlum nova præpes urget  
Ecce volatum.

Siste velocias per inane pennas,  
Pone tam rari ſpolium Iapilli!  
Evolat nullo remorante cursum

Præpes in auras!

Post has Calliope ferat Martis bella reponens,  
Pindarico Heroum carmine miscer epos.

Ods

# Ode VII.

Smaragdo semper virens.

**G**emma, quæ flavo trabeata Cyclo  
Imbre fulgorum viridante cæcas  
Increpat nubes, tremulumque lucis  
Expletat aurum?  
Quam stupent sylvæ, famulusque pulchram:  
Collum census colit, & virens  
Gratiæ herbolo redimitur horto,  
Nonne Smaragdus?  
Quo sibi semper viret obsoletæ  
Nescius rugæ decor, atque Virtus,  
Exerit festam sine nube frontem  
Gratia honesti  
Ilicet tetricis viridem tenebris  
Contegat livor, nitidumque velet  
Nominis solem, levat ille vultum  
Comptior auro.  
Fulget, in densis mea gemma fulget,  
Noctibus fulget, super & tiaras  
Nobilis coeli levat explicatum  
Gemma nitorem,  
Laudis hæc est laus, sociare avito  
Sanguini clarum meritis decorem,  
Hac viâ Mundi Domitor tiaræ  
Fulget honore.

Conde

Conde nigranti Libitina nocte,  
Excute aurato solio Smaragdum,  
Clrior fiet resolutus ipsâ  
Compede palæ.

**F**Ors tunc Vranie gemmata palatia celi  
Lustrabat, nitidis fulgida lampadibus,  
Cum stupet, & radio vastum metitur Olympum,  
Heu! quoq ait, gemmas patrius orbis habet?  
Spretus ibi calcatur onyx, vilesque Pyropi;  
Quicquid & in viridi colligit Indus aqua.  
Talem ego deciduum cæli si dixero gemmam,  
Fulgentem innocuo lumine, vera loquar.  
Excidit illa quidem: quid? carceris orbe soluta est,  
Liberaque auratâ compede tota nitet.  
Tota nites, ô Anna nites, ô cælica gemma!  
Ergo subi ætherias cælica gemma plagas.  
Nam memini nuper calida inter vota, precesque  
Sic te sydereos expetiisse choros:

Ode VIII.  
Rhythmo-metrica.

Gemæ coelesti.  
Aspiratio Anne Maria ad celeste Virginum Odaum.

**A** More flagro cæli,  
Cæli ô micantis atria!  
Ardore flagro zeli,  
O chara cælum patria!  
Longum valeto mundus,  
Ludas tuos fastigiis,

Mali valeto fundus,  
Fallas tuos præstigij.  
Ad Virginalis aulæ  
Ardor citat melodiam;  
O cantus, o choraulæ!  
O cantuum Concordiam!  
Ilic mele Cygnea  
Fundam labris tenehulis,  
Quæ suppressant Hyblaæ  
Vel mella lecta floculis.  
Sub arborum virore  
Iam pleniùs bibens epos,  
Veris fruar tempore,  
Ah qualis hic erit sepos!  
Ardoris inter æstus  
Ab blandientur aurulæ,  
Nullus dies profestus,  
Ad vota current horulæ.  
Valete plectra, quæ ornos  
Hæmique traxistis feras,  
Quæ saxa muta, Cornos,  
Ditique rupistis feras.  
Delphinæ inter ille  
Sulcet procellas fabulis,  
Chorus agatque mille  
In fabularum scenulis.  
Valete voxque olores,  
Ripæ Caystræ musici;

Et mem-

Et membra discolorē

Vos Psittaci Gangetici.

A credulæ canoræ,

Tot saltuum Sirenulæ;

Innoxiè sonoræ

Tacete nunc alaudulæ.

Quem fundit oda celi,

Permulseat fibras sonus.

O servulæ fidelī

Si tangat hic aures tonus,

Harmosta perge chordis

Sonantiori jubilo,

Lenire vota cordis

Diviniore sibilo,

Dum flabit aura mortis,

Filumque vitæ ruperit

Vitale Parca fortis,

Et hinc migrare jusserit.

Fac inter hos calores,

Fac inter hanc harmoniam,

Fac inter hos favores,

Celi petam symphoniam.

Aurora pande celum!

Cras omne duco sæculum:

O hora rumpe velum,

Lentum necis per spiculum!

Ultima decidua tumulo Polyhymnia gemmas

Colligit, & patrio concinit ore Vale.

Kinek me

Gelepenq' q'ist'q' l'lele

AN

# ANNA MARIANAK

Siralmas Vég-bucsuzása keseredet Attyától, és  
bánatos kónyhullatásokban merült édes An-  
nyától, és Rokonságító!

## SIRALMAS ENEK.

E Z el-mult siralmas ólznek fellegével,  
Egy Lajtorja látzék Menyben egy végével,  
Kin Angyalok, Isten hatalmának  
Erejéből, fel s-alá sétálnak:  
Egy fényes köntösben, ártatlanságában  
Fel-öltözött lelke, öröök bőldogságban  
Földről vévén, szárnyokkal emelék,  
Isten szinétazzal ők tisztelék;  
Hol azonnal mindgyárt közikbe állaták  
Azoknak, kik minden bűntől voltak tiszták,  
Kik ruhájok fénlők szép fejérrel,  
Es Stolajok mosva Bárány-vérrel.  
Ezt mint ki-nyilt Rosát Pünkösdi időben,  
Vagy szép Liliomot à virágos földben  
Mutatta volt à napnak eleje,  
Est-hajnalban hasadó sengéje.  
Mint Nardusjo szaggal kezdett illatozni,  
Szüléknék s-Vérének gyöngyel virágozni:  
Kinek méltán minnyajan órultek,  
Kikeletben ósztúl nem-is féltek.

Az Arany-gyűrűben mint Gyémánt ugy fénlett,  
Kivel Holló Háza mindenkor tündöklett,

Mint à Sasnak à Szárnyára fel-ült,

Hogy à Napra nézett, Annya örült.

Ez egy reménsége, s-két szeme Attyának

S-régi Osolinski Czimeres Bárdgyának:

Mellyel házat épített-is vóna,

Irigy Halal ha engedte volna.

De à szép Kikelet csak magát mutatta,

Egy kis reménséggel dolgat fitogatta;

Kikeletet az ősz meg-emészte,

Virágját-is semmivé tételeté.

A' Pünkösdi Rosa immár nem virágzik,

Nardus-is jó ízaggal már nem illatozik:

Arany Gyűrű Gyémántya le-esett,

Minden fénye homályban enyészett.

Egy szárnyát Hollonak az Halál meg-ízegte,

A' két szeme-fényét Annyának békítette,

A' mit à Bárd épített el-bontá,

Kettős Kerecső edgyik ágát rontá.

Csillagnak mondhatták, melynek Ege az Föld,

De alig villámlott, s-már békítette a Kód:

Benne alutt maradék szikraja,

Szúleinék, s-nagy neveknek hangja.

Föld kereksgében a ki fel-emellye

Az Attya Czimerét, és nevét visellye

Nincsen immár, Thecvitis Aszonnyal,

Siránkozik Annya illyen szoval:

Első

## ELSŐ SÍRÁLÓM.

A kecsere dett Anya síralma.

O Keszerves, éles fájdalmokkal tellyes

Szívtek hasító Halál!

O Vilagi élet, és rövid Kikelet

Az ó szép virágival;

Kinek kóny hullatás s-zokogó éhadtás

Elein és végén áll!

Igy valásztisz el engem, s-mint egy ellenségem

Ketté metted szivemet

Vagy mint egy Oroszlány, ki prédának lelt hányn

Szaggatod életemet.

Nemzetemnek ágát, kér fizemem világát

Szikrám óltod s-Tüzemer,

## MASODIK.

O H Szivem emészto veszély,

Oh Ektém meg rontó fekely!

Halálnak kegyetlen keze,

Vérem Szomjúzó tegeze,

Igy nem hagyad Viragiában

Eletének haynalában,

Eggyetlen egy Virágomat

Gyengén Nyíló Világomat,

En HOLLÓ MARIA ANNAM!

Illatozó Majoránnám!

Holvagy én győnyörűségem

Idő előtt hogy hagyíz engem?

Kivan-

Kivántam látni valóban,  
Szerencséd állapattyában,  
Előmentét Virágodnak,  
Mint eletem folyásának.  
De azt Szemem nem érhette,  
Irigy Halál nem engedte,  
Virágodat herváltotta,  
Világod Homályban fogta.

### H A R M A D I K.

ANNA MARIA Szűleit vigassítallya.

Mit kesereg ízived oh én édes Atyam?  
Inkább örúlly, mert van Mennyében más Atyám;  
Mit sirtz én utánnam ô szerelmes Anyám?  
Rövid éjetemnek reménye, s-koronám;  
Bánod, hogy leányod lett Christus leánya,  
Hogy Ményben énnékem Anyám Isten Annya?  
Hogy ízemem az Istenet szinről szinre láttya,  
S-töllem semmi homály öt el nem foghatta,  
Ellenkező könyvel az Isten szándékát  
Negátold, s-Atyaiked ves akarattyat:  
Ne bánd, ha è világ hivságos pompáját  
Meg-cserélvén, veitem Szűzek koronáját.

### N E G Y E D I K.

Mert ha meg-tekinted, s-valóban meg-érted  
Romlondó mi voltában,  
E' világi élet, csak egy szép Kikelet,  
Mulando virágjában,  
Csak

Csak vizi búborék, s-szívet hasító ék,  
Világ friss pompáiban.  
Tekints gond, s-bu alá, kinok, s-károk alá  
Minden rendek vettettek,  
Császárs-Királyoknak, Nemes Vraságnak  
Halál à végezetek.  
Az holott nem véltek, s eszekbe sem vették  
Csalárd tőriben estek.  
Kevés ideig tart, le-omlik mint à part  
Eletünknek ideje.  
E' csalárd Világnak, s-mulando javának  
Alhatatlan ereje.  
Ha mi kicsin méze, tiz annyi à mérge  
Változando ereje.  
Vtollo oráját, s-Halálunknak napjár,  
Senki meg nem tudhattya.  
Micsoda bőlcse elme, s-vén ember értelme,  
Ki azt fel-találhattya?  
Világ gyarloságát, és minden hivságát,  
Boldog ki meg-unhattya.  
Ó T Ó D I K.

**M**icsoda è Világ az ó szépségével?  
Hoszsú esztendöknek nagy reménségevel?  
Ne hidgy etek, az folyo időnek,  
Mert ostroma az mi életünknek.  
Hegyeket, s-mezőket, még-földt szépségétől,  
Gyümölcsös ágakat, ki-szaraszt tővestől,  
Ma virágzott, estvére hervadott,  
Hónap csak helyét sem találod ott.

Azért é virágnak szép Attyafisága,  
Höllo ki-terjedet Nemes rokonsága,  
Nebánnyátok hogy Isten el-vette  
Adományát, s-magájévá tette.  
*Sinite parvulos.* Oh à kisdedeket!  
Erelzszétek hozzáam, s-az egyúgyűeket  
Mert azoké örök boldogsága  
Menyországna, s- örök vigassága.  
*Hæc ubi, Corvino signans Adamante sepulchrum*  
*Dixerat; incidit verba suprema Dolor.*

INSCRIPTIO TUMULI.

M A R I A A N N A.

mæstorum Parentum

S I G I S M V N D I & S O P H I A E

Spes Magna.

G Emma supergressa universas  
Hoc Perillustribus gemmis illuminato  
jacet Tumulo Gemma unica.

Indole & Gratia A N N A  
Genere & Sangvine M A R I A.

Maris portum ingressa,

Portum invenit in M A R I A,

quem vix poterat citius.

Scilicet

Non tribus tantum pedibus ad sepulchrum itur;

Properatur duobus lœpè, magis quatuor.

Innocentia.

Vel

Vel in Natura miracula ostentans  
Vix floruit, fructum dedit:  
Novo prodigio,  
**V**bi factum Äquinoctium fuit,  
Autumnū conjunxit cum Vere.  
Quamvis Ästas credi potuerit,  
Quando Sole in Libra Oriente,  
Luna occidit in Leone.

Ätate parvula ad æquales Abiit,  
Vbi nemo major nisi Minimi.  
**I**nfans Vocabat non bene balbā lingvā Matrem  
Surda Parca rata est audire Mortem:  
Hæc cunas agitare, quæ venit, Invertit:  
Et è cunis, arreptâ Ascia, fecit Sepulchrum.  
**I**lla Spiritum ubi accepit, reddidit:  
Hæc Corpus Terræ Scepsisenji mandavit.  
Primum illi beneficium a Matre nasci,  
Proximum à Morte denasci.

Viator miraris?  
**C**rucem huic Tumulo præfixam dum non vides?  
In Tumulo sepulta jacet.  
Tu quoque quamvis centum annorum Puer sis

C. i. C. C. xiiii. msc. 15

sequere.

posuit.

F I N I S.

Rara Avis in terris, Alboq; simillima  
CORVO;

*sive*  
SPECTABILIS, ac GENEROSUS DOMINUS

# SIGISMUNDUS H O L L O

Senior, de KROMPACH,

ex Vetusta CORVINORUM Stirpe progeni-  
tus, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Aulæ  
Familiaris, nec non Inlytarū Hungaricæ & Sce-  
pusiensis Camerarum Confiliarius, ob eximia  
Heroicarum Virtutum decora inter rariores  
Hungariæ Heroës meritò numerandus:

*cujus*

Funebres Exequias, in Capitulari Basilica Sce-  
pusiensis solenniter celebratas, hac dictione  
Panegyricâ exornavit

P. STEPHANUS RENYES,  
è Societate Jesu.

*ANNO*

TVrCICæ potentIæ Clr Ca StrIgonIVM profLI-  
gatæ, arClsqVe VI-VárInensIs reCeptæ.

---

LEUTSCHOVIAE, Typis Samuelis Brever.

**TIFFEN® Color Control Patches**

Centimetres

Inches

Black  
3/Color  
White

Magenta  
Red  
Yellow

Green

Cyan

Blue

Vel in Natura miracula ostendit  
Vix floruit, fructum dedidit  
Noyo prodigo,  
Vbi factum Äquinoctium fuit  
Autumnum conjunxit cum  
Quamvis Ästas crevit  
Quando Sole in Libra Oriens  
Luna occidit in Leone.  
Ätate parvula ad æquum  
Vbi nemo major natus  
Infans Vocabat non bene baculum  
Surda Parca rata est audire  
Hæc cunas agitare, quæ  
Et è cunis, arreptâ Ascia,  
Illa Spiritum ubi accepit, recedit  
Hæc Corpus Terræ Scepsum  
Primum illi beneficium a Mater  
Proximum à Morte denasum  
Viator miraris?  
CRUCEM huic Tumulo præfere  
In Tumulo sepulta jacent  
Tu quoque quamvis centum  
sequere  
C. C.  
posuitq.

Rara Avis in terris, Alboq; simillima  
CORVO;

sive

SPECTABILIS, ac GENEROSUS DOMINUS

# SIGISMUNDUS

## H O L L O

Senior, de KROMPACH,

ex Vetusta CORVINORUM Stirpe progeni-  
tus, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Aulæ  
Familiaris, nec non Inlytarū Hungaricæ & Sce-  
pusiensis Camerarum Confiliarius, ob eximia  
Heroicarum Virtutum decora inter rariores  
Hungariæ Heroës merito numerandus:

cuius

Funebres Exequias, in Capitulari Basilica Sce-  
pusiensi solenniter celebratas, hac dictione  
Panegyricā exornavit

P. STEPHANUS RENYES,  
e Societate Jesu.

ANNO

TVrCICa potentIa Clr Ca StrIgonIVM profLI-  
gatæ, arClsgVe VI-VárInensi reCepta.

LEUTSCHOVIAE, Typis Samuelis Brever.

